

Semper istiusmodi sunt profectus, ut in exordio desideret quispiam saltem in virtutum ›umbra‹ consistere. Ego puto ideo et nativitatem Iesu ab ›umbra‹ coepisse et non ›in umbra‹, sed in veritate finitam; ›Spiritus‹ inquit ›sanctus veniet super te, et virtus altissimi obumbrabit tibi‹. Nativitas Christi ab ›umbra‹ sumpsit exordium; non solum autem in Maria ab ›umbra‹ eius nativitas coepit, sed et in te, si dignus fueris, nascitur sermo Dei. Fac igitur, ut possis capere ›umbram‹ eius et, cum ›umbra‹ fueris dignus effectus, ›veniet ad te‹, ut ita dicam, corpus eius, ex quo ›umbra‹ nascitur; nam ›in modico fidelis et in maioribus erit fidelis‹. ›In umbra eius concupivi et sedi‹. Vides quia non semper ›in umbra‹ steterit, sed inde ad meliora transierit dicens: ›et fructus eius dulcis in gutture meo‹. Ego, inquit, ›desideravi in umbra eius‹ requiescere, sed postquam sua me protexit ›umbra‹, etiam ›fructibus illius‹ saturatus sum et dico: ›et fructus eius dulcis in gutture meo‹.

7. ›Introducite me in domum vini‹. Foris stetit sponsus et ab sponsa susceptus est; ›in medio‹ quippe ›uberum‹ eius requievit. Plurimae ›iuvenculae‹ non sunt istiusmodi, ut sponsum hospitem habere mereantur; ›multitudini‹ foris ›in parabolis loquitur‹. Quam vereor, ne multae ›adulescentulae‹ forte nos simus. ›Introducite me in domum vini‹.

Cur tam diu foris maneo? ›Ecce sto ante ostium et pulso; si quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, et caenabo cum eo et ipse mecum‹. — ›Introducite me‹. Et nunc eadem dicit sermo divinus; ecce Christus loquitur: ›introducite me‹. Vobis quoque catechumenis loquitur: ›introducite me‹, non simpliciter ›in domum‹, sed ›in domum vini‹; impleatur ›vino laetitiae‹, vino Spiritus sancti, anima vestra et sic ›introducite in domum‹ vestram sponsum, ›Verbum‹, ›sapientiam‹, ›veritatem‹. Potest autem et ad eos dici, qui necdum perfecti sunt: ›introducite me in domum vini‹.

4 Luk. 1, 35 — 9 vgl. Luk. 16, 10 — 10. 11. 14 Hohel. 2, 3 — 15. 19. 22. 23. 24. 27 Hohel. 2, 4 — 16 vgl. Hohel. 1, 13 — 18 vgl. Matth. 13, 2. 3; Origen. in Num. hom. 6, 1; in Matth. XI (III 9 Lomm.) — 20 f vgl. Apok. 3, 20 — 25 vgl. Pred. Sal. 10, 19 — 26 vgl. Joh. 1, 1; I Kor. 1, 30; Joh. 14, 6

4 ∼ sanctus inquit *E* | superveniet in te *E*, nach der Vulg. | super] in *D*, *Del.* 5 tibi] te *BCEF* (aus tibi geändert), *P* kaum richtig, vgl. Bd. II S. 277, 16; 339, 18 | sumpsit] cepit *G* 7 nascetur *C* 8 veniat *BGP* 9 nam + qui *P* 10 ∼ eius umbra *C* 15 a *BEFG* 16 illius *BGP*, *Del.* | plurimae] proximae *D*, *Del.* 20 ante] ad *G* | hostium *P* 27 nondum *D*, *Del.*

4*